



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 17. Mutuæ, variæque quæstiones inter Episcopos, & Protestantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

„fatemur, & agnoscimus Corporis, & Sanguinis ipsius in cœna præsentiam: cum vero Protestantes Ministri circa hunc articulum explicationem omnino confusam, prout re ipsa patet, sese dedisse cernerent, hinc sequentia addebant, *nulla locorum distantia posse impediri, quominus Corpori, & Sanguini Christi communicemus; quippe cum Cœna Domini res Cœlestis sit, & quamvis in terra accipiamus ore panem, & vinum, ut vera Corporis, & Sanguinis signa, tamen fide, & Spiritus Sancti efficacia mentes nostras, quæ hoc cibo pascuntur, in cœlum raptas Corpore, & Sanguine præseente frui, & hac ratione dici corpus vere pani conjungi, & Sanguinem vino, sed Sacramentali modo, hoc est, minime secundum locum, aut positum naturalem, sed quatenus efficaciter significant, Deum illa exhibere fideliter participantibus, illosque vere per fidem ea recipere.*

§. XVII.

Mutue, variæque quæstiones inter Episcopos, & Protestantes.

Thuan. l. c. Hanc fidei confessionem Protestantes ideo porrigebant, quia Lotharingus Cardinalis eos nil nisi quæstiones ex quæstionibus suscitare, in nullo autem convenire cernebat, quapropter huic malo obviaturus unice articulo de Eucharistia tamdiu insisti petiit, donec de

de eo concors haberetur doctrina. Postea a Ministris sciscitabatur, an forte, cum & Græcæ doctrinam rejiciant, Augustanæ Confessioni subscribere parati essent, quæ ita profitetur: *Fatemur, quod verum Christi Corpus, & Sanguis vere, realiter, & Sacramentaliter sit in Eucharistice Sacramento, ac ita offeratur, & recipiatur ab iis, qui illud recipiunt, & communicant.* Ut huic quæstioni responderent, Ministri Protestantes, bidui spatium petierunt, ac tandem die vicesima sexta ejusdem Mensis Septembris Beza scriptum recitabat, in quo suorum Sociorum vocationem vindicare conatus quæstionem sibi propositam in Episcopos retorquebat.

Sæcul. XVI.
A.C 1561.

§. XVIII.

Bezæ Scriptum Episcopis injuriosum.

„Eja, inquiebat Beza, imaginemur nobis Episcopum interrogantem nos, quo jure prædicemus, & Sacramenta administremus, nonne merito nos quoque eundem interrogare possumus, an ipse electus sit a Senioribus Ecclesiæ illius, cui deputatus est tanquam Episcopus? an ipse fuerit a populo postulatus, an præcesserit inquisitio in ejus vitam, & mores, atque doctrinam? si id affirmat: probe nosci-